

WS 1731

125

**RECTOR**  
*ACADEMIAE GIESSENÆ,*  
**D. JO. FRIEDERICVS**  
**KAYSSER,**

CONSIL. HASSO-DARMSTATT. JVR.  
PROF. P. ORD. ET RERVVM  
OECON. INSPECTOR.

**LECTIONES**

PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM  
A SINGVLIS PROFESSORIBVS  
IN QVAVIS FACVLTADE

CVM PVBLICE, TVM PRIVATIM  
HABENDAS

*LECTISSIMIS CIVIBVS ACADEMICIS*  
*INDICIT ET COMMENDAT.*

SVB SIGILLO ACAD. MAIORI  
ANNO MDCCXXXI. DIE XVI. SEPTEMBRIS.

---

*G I E S S Æ,*

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.

⊗   )   •   (   ⊗

---

## *In Facultate Theologica.*

**D. IO. IACOBVS RAMBACH,**

*SS. Theol. Prof. primarius, Superint. primus & Consist. Assessor.*

**I**N publicis lectionibus, hora IX. matutina habendis, Auditores deducet in amoenissimos *historiae ecclesiasticae V. T.* campos, id operam daturus, ut, quae in vniuersis V. T. libris historicis difficultatibus obsepta sunt, apte enodentur, interspersisque observationibus practicis condiantur. In *privatis* lectionibus, hora III. pomeridiana, praecipua *hermeneutica sacra*, plurimis exemplis illustranda, ita tradet, ut via ad intelligendas atque interpretandas sacras literas pandatur, atque sic solidum ponatur fundamentum, cui futuro semestri aetius ea, quae ad theologiam *dogmaticam & moralem* spectant, superstrui possint. Singulis etiam hebdomadibus horam ad audiendas in auditorio privato, *tenendasque conciones sacras* destinabit. Faxit Deus feliciter!

**IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*D. P. P. & Marpurg. Darmstadinus Superintendens.*

**P**ublice huc usque ea proposuit, quae in praeparando futuro Ecclesiae Ministro sunt necessaria; nunc hor. III. statim *in ipsius ministri officio* requirantur, exponet. *Privatim in explicandis V. T. libris*, quos ordo exhibet sedulo perget, & *Theologiam theticam* ex compendio Bajeriano resumens, una cum *ἀντιλεγόντων* antithesi persequetur, nec iis deerit, qui forte *historiae Ecclesiasticae* studium per necessarium urgebunt.

**REINH. HENR. ROLLIUS, D.**

*Prof. Publ. Consist. Eccl. Assessor, & Dioces. Alsfeld. Superint.*

**H**istoriam *Ecclesiasticam seculi XVI. & XVII.* semestri praeterlapso publicis praelectionibus tradi coeptam, bono cum Deo



Deo continuabit, id operam sedulo daturus, ut mensibus hibernis ad finem ea perducatur. *Privatim* perget in *Lectio- nibus Theologiae dogmaticae*, ad ductum Compendii Bajeriani haecenus institutis, eo allaboraturus, ut et ipsae unius anni spatio, quod in se recepit, absolvantur. Collegium in uni- versam Theologiam *disputatorium*, quod nuper promisit, diebus Mercurii et Sabbathi, serie haud interrupta, haben- dum, Deo vitam viresque clementer largiente, sub instantis semestris auspiciis inchoabit, publicoque programme, & institutum hoc commendaturo, & nomina Dnn. Commilito- num; qui respondendi pariter ac opponendi munere fun- gentur, exhibituro, ex tabula significabit.

## JO. CONRADUS ARNOLDI,

*SS. Theol. D. & Prof. P. Ord. nec non Acad. a Bibliotheca.*

**P**UBLICAS Lectiones, hora II. pomerid. ex IV. Oecumenicis Ecclesiae Symbolis, haecenus ad Symb. Athanasianum productas, continuabit, hujusque ultimi Autorem, a culpa spiritus vertiginis ac contradictionis, cujus *Ch. Democritus in Def. Demonst. Evangel.* ipsum insimulat, liberabit, illiusque harmoniam cum Scriptura S. commonstrabit. Privatas, hora X. porro impendet explicationi Theologiae Theticae, ex Compendio Theol. Bajeriano, juvante Deo, mensibus hisce hi- bernis, feliciter absolvendo. Hora etiam alia, Dnn. Audi- toribus commoda, in Commentationibus Exegeticis Epi- stolae ad Romanos perget, hujusque capp. posterioribus pro- pediem absolutis, addet ejusdem argumenti Epistolam Pauli ad Galatas; in singulis vero Lectionibus, potiora momenta cum Dnn. Auditoribus scripto communicabit, atque argu- menta publice disputandi suppeditabit.

*In*

( ) ( )

---

*In Facultate Juridica.*

**D. JO. FRIDERICVS KAYSSER,**

*Consil. Hasso · Darmstatt. Jur. P. P. Ord.  
& rerum Oecon. Inspector.*

**I**N Collegio ff. quae restant hac hieme absolueret contendet. In Lectionibus vero Juris publ. nuper admodum coeptis strenue perget, nec deerit quoque Nobilissimis Dn. Dn. Commilitonibus in aliis legitimae scientiae partibus tradendis, sibi operam & industriam suam debite prouocaverint.

**D. JO. FRIEDERICVS WÄSSLER**

*P. P. O. & Acad. Syndicus.*

**P**ublice praelectiones ad STRUVII *Jurisprudentiam* ad finem perducet. *Privatim* vero Collegium pandectarum adductum Compendii LAUTERBACHIANI inchoabit operam daturus, ut binis per diem horis hoc semestri id finiat. Alia quoque collegia pro desiderio Dn. Commilitonum aperire constituit.

**D. IO. GEORG. ESTOR,**

*Consil. Hass. & Jur. Prof. Ord.*

**R**Ogantibus ita nonnullis Dn. Commilitonibus *publice* ius canonicum exponet, duce Coruino, notis Bocherianis collustrato. In prolegomenis delibabit iuris ecclesiastici origines, ex historia ecclesiastica trium priorum seculorum petitas. *Privatim* eorum desiderio erit facturus satis, qui Institutiones iuris, methodo, quam fieri potest, plana & perspicua gestiunt audire. Docebit etiam ff. & absolutis nunc lectionibus, quas habuit, feudalibus, ius publicum Mascouio, aut Mosero, praecunte.

D.



# D. JOH. FRIDER. MOEGLING,

*Jur. Prof. Publ. Ord.*

**D**E O T. O. M. animi vitæque alacritatem clementer concedente non solum Collegio in Pandectas privato ad librum XVIII. earundem hæctenus perducto hora VII. antemeridiana infistet strenue, intra quadrimestre spatium ejus finem sperans exoptatum, sed & hora III. pomeridiana incipiet aliud ejusdem Commatis, ut, si qui accelerandis intenti essent studiis, uno eodemque tempore, mane posteriores, a meridie vero priores pandectarum libros simul percipere, sicque intra quatuor menses omnem Digestorum Cursum absolvere possint. Ardore simili perget in publicis ad Institutiones Lectionibus, quibus finitis, id quod intra bimestre spatium fieri posse autumat, sequenti mox die eas D. V. revocabit prælegendas, adeoque, si qui quartum, qui restat, librum in continuatione præsentis lectionis audire velit, ipsi tum liceat esse breviori, non nisi circa tres, qui præcedunt, libros occupato. Denique incipiet Collegium Practicum, quavis septimana; ut sit elaborandi spatium, bis, nempe die Martis & Veneris, hora IX. antemeridiana habendum, in quo ex omni Juris parte casus practicos elaborandos dabit, præsidemque Judicii, actorem, reum, actuarium & assessores constituet; ut levi addiscant negotio applicare se gravioribus.

## *In Facultate Medica*

# D. JOH. CASIMIR HERTIVS,

*Prof. Publ. Ord.*

**P**ublicas horas anatomicis denuo laboribus impendet. Privatim vero desiderio se & captui Nobiliss. Dnn. Commilitonum accommodabit.

) o (

---

**D. IO. MELCHIOR VERDRIES,**

*Consil. & Archiat. Hasso. Darmstad. Medicinæ Prof. P. O.*

**P**ublice in tradendis *fundamentis uniuersæ Medicinæ*, Deo dante, sedulo perget. Priuatim ad vota & captum Nobiliss. Dn. Dn. Commilitonum se accommodabit.

**LUD. HENR. LEO HILCHEN,**

*Prof. P. O.*

**P**ublice perget in prælectione Institutionum. Privatim uniuersum Medicinæ cursum ordietur, nec alia desiderantibus defuturus.

---

*In Facultate Philosophica.*

**D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*Math. P. P. Ord.*

**L**oco lectionum publicarum hebdomadatim nonnullas theses ex quauis Matheseos parte decerptas ventilandas proponet. Elementa totius Matheseos non solum resumet, sed ad quaeuis etiam Geneross. Dn. Commilitonum desideria sese accommodabit.

**IO. HENRICVS MAIVS,**

*Antiquitatum, litteraturæ Graecæ, & ling. orient. Prof. Ord.*

**Q**uo ante biennium coepit modo Wolfianas Curas Philologicas & Criticas, N. T. libris impensas, exponere, augere, emendare, eadem omnino ratione posthac publice perget, ac ordinæ sequens S. Ioannis euangelium illustrandum suscipiet, cui, si fieri poterit, Actus Apostolorum adstinet. Si qui etiam erunt, qui Basilii magni de legendis gentilium libris orationem, elegantissimam aequè ac utilissimam, explanari sibi uoluerint, lubens horum votis & in hoc negotio,

&



& ceteris officii sui partibus, satisfaciet. Docet publice hora ante meridiem vndecima.

# D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

*Philos. Natural. Prof. P. Ord.*

**A**bsoluta parte *Philos. Natur. generali*, Deo volente, ad *specialem* progredietur eandemque, quoad singula capita, ex genuinis naturae principiis, dilucide enodare annitetur. Nec ullibi deerit, ubi Nobiliss. Dn. Dn. Commilitonum comoda promouere ipsi integrum fuerit.

# SEBASTIANVS MASSON, P.

**C**ollegia *Iuris Naturalis & Morum*, ambo ad finem vergentia, vt proxime absoluet: ita noua circa *easdem* disciplinas pariter, ac circa doctrinam *Politica*m, auctoribus, vt solet, PVFENDORFIO & BYDDEO, aperiet. Dnn. Commilitonibus porro, qui per viam priuatorum *Examinum* vel *Disputationum* periclitari profectus suos cupient, opera sua promptissime inseruiet.

# CHRIST. FRID. AYRMANNVS,

*Histor. Prof. P. Ord.*

**P**ublice Historiam Romanam ex *Velleio Paterculo* per nostratam Bibliopolam nuper euulgato tradet, & selectioribus imprimis *numis* illustrabit. Priuatim *Heumanni* conspectum reip. litterariae explanabit. Nec *Historiae Germanicae & Iuris publici* discendi cupidus defuturus.

# JOHANNES RHENIUS,

*Eloquentia utriusque P. P. Ord.*

**D**eo valetudinem viresque rursus largiente; Publice partitiones *Vossii* oratorias illustrare perget; Priuatim desiderantibus

rantibus ejus operam satisfaciet. Privatissime in cœptis sedulo perget.

**JAC. FRID. MULLER, P. P. O.**

**H**oras publicas pro more consecrat Logicæ, privatas absolvendæ Doctrinæ de Anima & Deo, nec non Cursui Mathematico, semestri abhinc inchoato: Denique etiam Arithmeticam Chronologicam, si qui voluerint, exponet.

**IOH. LYDOVICVS ALEFELD,**

*Poës. Prof. P. Ord.*

**P**ublice HORATII de Arte Poëtica libellum explicabit: privatim quæ in *Mythologia* de hominibus, animalibus brutis & rebus inanimatis fabulosa traduntur, proponet; *reliquos* etiam *labores suos*, quorum partem æstivo hoc semestri jam absolvit, ea, qua par est, fide ac industria continuabit.

**CHRIST. LYDOV. RVDIGER,**

*Prof. Philos. extraord.*

**P**ræcisa & extincta commoda valetudo præterfluxa æstate credita, singulari Dei dono recuperata cum sit, in artificio, textum sacrum scite resoluendi, disponendi, elaborandi & pro concione demum eloquendi, proponendo, sedulo desudabit; nec non mathematicis pariter ac philosophicis studiis tradendis, gnauiter incumbet.

**H**abebunt etiam *Generosi & Nobilissimi Cives* commodissimam occasionem, in *arte equestri*, in *ludo palæstræ*, in *arte commode & perite saltandi*; nec non in *linguis exoticis, Gallica, Italica*, apud exercitiorum istorum, & *linguarum Magistros*, publica auctoritate constitutos, habiles admodum & idoneos, proficiendi; profectus suos augendi partamque habilitatem perficiendi.